

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ
Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli
Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorvm Opuscuvlorvm**

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm,
Aliarvmqve Observationvm ...)

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX.
Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

Beyschlag, Friedrich Jakob

Halae Suevorum, M.DCC.XXIX

VIII. Nova Literaria cum observationibus variis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16134

VIII.

NOVA LITERARIA

cum observationibus variis.

TUBINGAE.

Quod in Fasc. IV. p. 871. speravi, fore, ut
Vir optimus & maxime reverendus, GE.
CONR. PREGIZERVS, Poësin suam Sacram per
annum quoque præteritum 1728. continuatam
det; id ad vota multorum præclare ab eo præ-
statum est: prodiit enim eius Fortgesetzte
Gott - geheiligte Poësie auff das Jahr 1728.
in 8. (*) in cuius libri appendice L. B. multas
res literarias, in Academia Tübingeri, imo
& in Suevia generatim, aliisque in locis, per
A. 1728. gestas; strictim enarratas reparet.
Insertam & p. 503. sqq. eheu! video integrum
descriptionem tristissimam tristissimi ac feralis
incendii, quod eiusd. Anni 1728. die 31. Aug.
maiorem patriæ meæ Halæ Suevicæ partem va-
ste depopulatum est, funditusque proh dolor!
evertit, quæ tamen, divini Numinis benignis-
fima ope, & multorum benefactorum large
collectis subsidiis, ex cineribus magna sui parte
iam instaurata est. Atque ita exaudiit DEVS
vota cum aliorum hominum pie affectorum,
nostræque miserrimæ sorti ex animo indolescen-

Tom. I. Fasc. V.

Aaaa

tiuum

(*) Vid. Celeb. Moseri de hoc instituto iude-
cium; cuius locum paullo post exhibeo.

tium, tum celeberrimi & optimi mei Schelhornii, qui elegantissimam epistolam, & magna comitatis ac eruditionis laude mactandam, quam Amœnit. Lit. T. X. p. 1146 -- 1198. meo **exiguo** nomini inscriptam, inseruit, p. 1197. hisce solatii bonæque spei plenis verbis, quæ popularis huius mei suavissimi animum, bene nostræ urbi cupientem, satis indicant, A. 1728. ipsis Kalendis Decembr. finivit: *Cæterum, inquit, privatim iam meum tibi dolorem testatus sum, quem ex ingenti Hale Vostræ, antehac florentissimæ, nunc vero nupero ferali incendio magnam partem eheu! in cineres atque favillas redactæ, calamitate cepi. Nunc publice propitium Numen devotis imploro precibus, ut res patriæ misere afflictas integrum restituere, largoque omnigenæ benedictionis rore Vos in posterum perfundere velit!*

* * *

Eadem in urbe haud ita pridem publici iuris factæ sunt Pars I. & II. **WÜRTEMBERGIA
ILLUSTRATÆ, (Erläutertes Würtemberg / cc.
1729. 8. II. Alph. demtis aliquot philyris.)** Au-
tor & collector est Vir generosæ propaginis
& inclytæ eruditionis, Dn. Io. IAC. MOSER DE
FILSECK ET WEILERBERG, I. V. L. Illustris
Collegii Tubing. Iurium Professor, idemq; Se-
ren. Ducis Würtemb. Consiliarius Regiminis
actualis, qui & eodem tempore MISCELLANEA
IVR.



IURIDICO-HISTORICA edere cœpit, quorum Pars I. in Novis Liter. Lips. 1729. num. LXXXVIII. p. 796. breviter recensetur. In P. I. Würtemb. illustr. p. 305. sq. de instituto Ven. PREGIZERI eadem sentit, quæ & ego paullo ante, locoque ibi citato, de illo iudicavi; & ipse nova quædam Literaria Ducatus Würtemb. singulis partibus annexurum se esse, promittit. En verba Moseriana : „ Oben gemeldter Herr Pregizer continuiret noch alle Jahre, einen Theil (*) seiner A. 1717. angefangenen Geistlichen Poësie heraus zu geben, und selbigem einen Anhang von deme, was das Jahr zuvor für Schriften und Dissertationes &c. zu Tübingen heraus gekommen, oder was sonst allda in re literaria passirret ist, anzuhängen, welches, wie es ein sehr nutzlich und angenehmes Institutum ist, wofür ihme noch unsere spate Nachkommen vilen Danck wissen werden, sowohl als wir ietzo dem Crusio, also will ich, wann es der Platz leidet, zu End ieden Theiles dieses Werckleins nur noch ein und anderes, so ad Historiam literariam dieses Herzogthums gehört, von dem Herrn Autore aber, als der sein Abssehen eigentlich nur auf Tübingen gerichtet hat, übergangen worden,

Aaaa 2 anhän-

(*) In illam partem, quæ anno 1727. dedicata est, animadversiones quasdam p. 307. sqq. ab Illustri Mosero factas esse, comprehendendo.

anhängen. „ Addendus ergo in posterum erit VIR nobilissimus iis, quos de re literaria Sueorum partim commentatos esse, partim agere cœpisse, in Fasc. IV. p. 930. lqq. memoravi, ubi & nonnulla ipsius iam mentio a me facta erat. Pag. 307. eiusd. Part. I. auctor celeb. hanc suppeditat notitiam , dignam, quæ inde excerptatur: „ In dem Augusto der Act. Erud. 1727. und daraus in denen Leipziger Gel. Zeit. eod. Ann. num. 74. p. 748. ist auch gemeldet worden, man vermuthe, der Autor der zu Nürnberg selbiges lahr in Quarto herausgekommenen Bibliothecæ Iuris Imperantium seye eben derjenige, von welchem man die unpartheyische Vrtheile von Iuridisch und Historischen Büchern habe (nehmlich ich, der Collector dieses erläuterten Würtembergs) weilen aber diese Muthmassung ungegründet ist, so habe ich solches bey dieser Gelegenheit dem Publico zu wissen machen wollen. „ P. II. num. XV. p. 260--284. inseruit vitam IACOBI SCHEGKII, Med. Doct. eiusdemque & Philos Prof. olim Tubing. ex Orat. fun. de vita , morte & studiis Iac. Schegkii &c. habita a Ge. Lieblero, Prof. Physico Tubing. quæ Tubingæ 1587. 4. prodierat. Liceat vero mihi , pace Excell. Moſeri, (de cuius bene de b. BRENTIO nostro, quem Tritavum agnoscit, merendi voluntate, meosque conatus adiuvandi studio, optima quæque ex humanissima eius epistola nuper ad me data, sperare cœpi,) lectores monete, integrum

tegram fere orationem illam Lieblerianam in Melch. Adami Vitis Germanorum Medicorum, p. m. 292. sqq. edit. Haidelb. 1620. 8. recusam extare, ordine faltem nonnihil immutato, omissis tamen iis, quæ apud Moserum p. 279. sqq. de controversia Schegkii theologica leguntur.

VLMAE.

JO. GE. SCHELHORNIUS Auctor AMOE-NITATVM LITERARIARVM, quarum Tomos VII. & VIII. in præcedente Fas. p. 913. & 919. memoravi, interea earundem Tomum IX. A. 1728. & X. atque XI. A. 1729. ex eadem officina prodire fecit, ex qua & cæteri omnes exierunt. T. X. num. V. p. 1146. sqq. placuit Viro humanissimo, prolixam illam ad me epistolam, cuius supra p. 1106. memini, præter meritum inserere, ex qua multa egregia me dedit, lubens ac gratus publice profiteor. In primis gratulor illi felicem coniecturam, seu demonstrationem potius, pag. 1165. sq. legendam, qua evictum nunc dedit, libelli illius de Papa muliere, Wittebergæ 1609. 8. a quodam FABRO DOMINI editi, quem ego in Bibl. Brem. Clas. VIII. p. 515. sqq. sub adscito IRENÆI BIBLIOPHILI nomine recensueram, verum auctorem esse IACOBVM HERRENSCHMIDT. Forte non ingratum fuerit Cel. Schelhornio, coniecturam suam ab ipso Herrenschmidio confirmatam hic legere. Postideo enim eius libellum

Aaaa 3

de



de Bacchanaliis, Noribergæ impressum, in 12.
fine anni nota, cuius tamen dedic. Cimmeræ
1626. exaravit. In titulo se vocat Oettingensem
Ecclesiastem Zimmeranum. Pag. 65. diserte pro-
vocat ad istum libellum suum : *de his*, ait,
vide tractatum meum de Papa muliere An.
609. Wittebergæ impressum. Præstare sic mihi
licuit Schelhornio tale officium, quale ille mi-
hi p. 1164. exhibuit, confirmando meam quan-
dam conjecturam, in Bibl. Brem. Cl. VII. p.
932. propositam, M. ANT. FLAMINII (de quo
vid. infra p. 1116.) epistolas ex Pauli Manutii
collectione epistolarum Hetruscarum a Came-
rario petitas esse, quas latine a se versas, libello
illi suo inseruit, quem paullo ante Cl. Schel-
hornius in mei aliorumque gratiam docte re-
censuit. Collatione facta, deprehendo nunc,
ex nullo alio fonte, uti mihi quidem videtur,
quam ex Manutiana collectione Camerarium
dictas epistolas hausisse. Pag. 1186. sq. obser-
vat Cl. auctor, Conr. Gesnerum singulos sua-
rum Pandectarum libros celebrioribus suæ æta-
tis typographis, quorum hic nomina adducun-
tur, inscrispisse. Memoriæ eius forte non suc-
currat, singulas istas epistolas dedic. in Maitta-
rianis Annal. Typogr. integras legi recusas, id
quod ip̄e Cel. Maittaire T. III. p. 251. affir-
mat. Cum sparsim vasto illi operi insertæ sint,
visum mihi est, lectore hunc ob laborem haud
mihi forsan succensente, ad ductum Cl. Schel-
hornii eas in ordinem redigere. Nimirum
epistola

epistola dedic. quæ Gesneri, (cuius vita & libri T. III. p. 251. sqq. a Maittairio recensentur,) Libro Pandectarum I. legitur præmissa, exhibetur in tomo Ann. Typ. secundo, p. 381. Epist. nuncup. Pand. Libri II. in tomo tertio, p. 228. Lib. III. l. c. p. 215. Lib. IV. l. c. p. 231. Lib. V. in tomo secundo, p. 445. Lib. VI. in tomo tertio, p. 234. Lib. VII. in tomo secundo, p. 346. Lib. VIII. in tomo tertio, p. 232. Lib. IX. l. c. 236. Lib. X. l. c. p. 237. Lib. XI. l. c. p. 239. (conf. Amœn. Lit. T. XI. p. 1186. sqq.) Lib. XII. in tomo secundo, p. 565. Lib. XIII. ibid. p. 411. Lib. XIV. l. c. p. 376. Lib. XV. l. c. p. 584. Lib. XVI. in tomo tertio, p. 143. Lib. XVII. ibid. p. 248. Lib. XVIII. l. c. p. 249. Lib. XIX. l. c. p. 250. Adducta hæc loca, (cum quorum nonnullis paginæ præcedentes coniungendæ sunt, ubi Gesnerus libros Partitionum indicavit,) si B. L. evolvere dignetur, quorundam quoque typographorum Catalogos librorum ab illis impressorum, quos Schelhornius commemorat, ex Gesnero transcriptos reperiet, de quibus conferri meretur Maittairii observatio, T. II. p. 461. sq. ab illo suppeditata.

In Tomi XI. (quem p. 973. huius Fasc. obiter citavi,) prima sectione pereruditam de Io. CAMPANO Anti-Trinitario (*) Diss. eamque

Aaaa 4 pro-

(*) *De quo D. Erasmus Alberus olim in Carmine quodam Germanico sic cecinit:*

Cam-



prolixam satis, exhibuit, eodemque tempore de hoc argumento cogitare cœpit, quo ego abhinc lesquianno de isto pessimæ famæ homine paucula in Fasc. IV. p. 902. sq. annotavi, quæ & p. 3. a Schelhornio humanissime, ut solet, adducta reperi. Cum locum illum Summe Ven. D. Cypriani, paginam, videlicet, 109. Catalogi eius Codd. MSS. Bibl. Gothanæ, cuius Schelhornius p. 2. & 30. mentionem iniicit, septem ante annos in Bibl. Brem. Cl. VII. p. 575. allegarem, perscripsi, nisi memoria me fallit, Cel. D. Theod. Hasæo privatim coniecturam aliquam, quam nunc publice eidem, imo & laudatis Dn. D. Cypriano & Cl. Schelhornio propnere audeo, annon Alb. Hardenbergius in epistola quadam ad Ioannem a Lasco, verbo *καμπανίζειν*, ad *Campanum* respexerit, quod verbum 10. a Lasco in epistola sua responsoria, Emdæ postridie Iacobi A 1544. scripta, (quam Hasæus in Bibl. Brem. Cl. VI. p. 120. sqq. ex MS. una cum aliis multis, protulit,) minus se intelle-

Campanus de Drefoldicheit,

Greep an, broecht my groth Herteleidt.

apud Cel. Fabricium in Centif. Luth. P. II. p. 721. Obiter addo, Rubium hic ab Albero commemoratum, per quem Fabricius lo. Crotum, Rubianum, intelligit, videri lo. Rubeum esse, cuius scriptum exhibit Ven. D. Löscherus in Act. Reform. T. III. p. 251. sqq.

tellexisse, tassus est; nescio, inquiens, (p. 125.
sq.) quid signifies sub verbo *καμπανίζειν*, nam
huius nihil hactenus vidi. Sed scio, Mennonem
versari nunc potissimum in Episcopatu Colonien-
si, & fucum facere multis. Eruditam illi ver-
bo subiecit notam doctissimus editor, Haseus,
in qua hariolatur, imo, non dubitare se, scri-
bit, quin hæc vox ei notaverit *ferociter*, *su-*
perbe, atque arroganter *agere*; *Campania*
enim incolas ob soli ubertatem, vini præstan-
tiam atque alia vitæ commoda, quibus afflu-
bant, valde inflatos atque insolentes fuisse,
docte probat Mihi vero dubium non est,
quoniam Io. CAMPANVS isti verbo originem dede-
rit, quando Io. a Lasco sequentia verba probe
expendo. Sed quam bene rationes subduxerim,
& num operæ pretium fecerim, quod
coniecturam, in quam septennio abhinc inci-
di, privatamque adhuc esse volui, nunc de-
mum publice examinandam stiti, aliis dispi-
ciendum relinquo. In eiusdem Tomi Sect. IV.
p. 222. sqq. exhibet Schelhornius Iudicium Ma-
gistrorum Academiæ Viennensis de proposi-
tionibus quibusdam Io. Munsingeri, ad quas
conf. Tom. VIII. p. 511. sqq. Sim. Stenius, in
Iac. Greitsero triumphato, (de quo libro quæ-
dam annotavi in Bibl. Brem. Cl. VIII. p. 506.)
hunc mihi locum pag. 193. suggestit: *Anno*
1384, *inquit*, *florentibus & dominantibus*.
Papis, *Ioannes. Munziger*, *Scholæ Ulmensis*

Aaaa 5

Re-

Rector, recitavit publice in Schola orationem, qua contendit, corpus Christi circumgestari solitum, non esse Deum; ideo nec adorandum ut Deum, adoratione latræ. Eadem postea scriptis defendit; ut scilicet ostenderet, sacramentum non esse adorandum. Haec tenus Stenii verba.

H A M B U R G I.

LVcem nuper adspexit Pars altera Centifoli Lutherani, Cel. D. Io. ALB. FABRICIO auctore, 1729. 8. Pars I. ibid. 1728. 8. edita, recens. in Sel. Bibl. Theol. T. III. p. 1059. sqq. ubi & integer huius operis egregii titulus sistitur. Promisi in huius Fasc. p. 1095. me leve mendum ex p. 871. P. II. sublaturum hic esse. Scilicet refertur ibi præter rem Cel. Io. DAV. KOELERI HIST. REFORM. NORIMB. in classem librorum, in quibus Historia Emendationis Sacrorum, sive Historia Ecclesiastica Civitatum quarundam, &c. traditur, quem indicem special. scriptorum Hist. Reform. laudatus Fabricius etiam in Bibl. Græc. Vol. XII. p. 201. sqq. concinnavit, in quo tamen Kœlerianam istam commentationem recte omisit, & loco illius Io. Conr. Dürrii Diff. maiori cum iure adduxit. Videtur Vir optimus ipsam Diff. oculis non usurpare, & titulo, quem forte alicubi mancum legit, deceptus esse, qui integer sic habet: *Historia Codicis Iuris Statutarii, sive Re却*



Reformationis Norimbergensis. Ipse Cl. Kœlerus recenset hanc suam Dissert. acad. A. 1721. d. 13. Oct. (quo tempore ipse ego Altorfii Nor. literis operam dedi,) habitam, in Fastis Vniv. Altorf. ad A. 1721. p. 206. sqq. Mentio quoque illius fit n. 20. inter Diss. a Kœlero editas, in vita eius, vitis Professorum Philos. Altorf. a Cl. Apino publicatis, inserta, p. 327. Cum mihi ad manus sit dicta Diss. dispexi, num forte de Reform. Eccl. Norimb. in ea nonnulla notatu digniora ὡς ἐν παρόδῳ proposita sint; sed nihil huc pertinens apprehendi, nisi quod §. XIII. commoda Reip. Norimb. ex Reformatione Lutheri, obiter & brevissimis tangi video. Iure ergo hanc Diss. Catalogo Fabriciano eximere audeo; sed ne numerum eiusmodi scriptorum imminuam, substituo in illius locum aliam Commentationem, ibi omissam, *Rentschii Jubilæum Burggrafianus Norici, hoc est, Historiam Reformationis Ecclesiasticae, &c.* totum titulum exhibui in Fasc. IV. huius Sylloges, p. 832. Ad p. 721. de Rubio conf. quæ p. 1112. dixi. Pag. 944. lin. penult. lege Romigii, pro Rommii.



IX. CON-

IX.

CONTINVATIO SVPPLE-
MENTORVM, ILLVSTRA-
TIONVM ET EMENDATIO-
NVM TOMI I. HVIVS
SYLLOGES.

*Quorum ea, que ad Fasciculum I. pertinent,
in Fasc. quarto, num. IX. p. 924--940. repe-
ries, quibus pauca hæc haud gra-
vatim superaddes.*

Ad pag. 114. Quæ Summe Rev. D. Theod. Hæsus in Bibl. Brem. Cl. VII. p. 931. sq. (ad hunc enim locum hic respexeram,) ante aliquot iam annos promisit Analecta de M. ANT. FLAMINIO, quæque nos aliique cupide adhuc exspectavimus, ea ex parte occupata nunc sunt a Cl. Schelhornio in Amœn. Lit. T. X. p. 1148. sqq. Quare haud dubie eandem apud Cel. Hæsum, (qui Camerarii ibi memora-
to libello, quem Schelhornius iam excerptum dedit, nondum potitus esse videtur,) iniit gra-
tiam, ac apud me, cui excerpta sua benevole inscripta voluit, iniisse illum, p. 1109. fassus sum. Conf. cit. T. X. p. 1195.

*Ad pag. 215. sqq. Codicem MS. eumque au-
to graphum REGINONIS de Armonica Institu-
tione, quem Cel. Bünnemannus nunc possidet,
memorat quoque Cel. Seelenius in Memoria
Stade-*